

Applausus votivi,  
in solennem  
inaugurationem  
græcæ & hebrææ  
lingvarum publi...

Henricius, Andreas Henrici,

*1 Ic Fol.*



National Library  
of Sweden



APPLAUSUS VOTIVI,

In

SOLENNEM INAUGURATIONEM

Græcæ & Hebrææ Lingvarum Pu-  
blici Regiique Professoris,

VIRI PRÆCLARISSIMI

DN. MAG. SIMONIS  
PAULINI,

Hactenus Facult. Philosophicæ  
Adjuncti laudatissimi;

*Dum 9. Octob. Anno 1684 habitâ Oratione introductoriâ, munus  
Professorium, in Patrum consessu Academicorum,  
aggrederetur :*

Dedicati à Patriotis & Discipulis.



Impr. ABOÆ M. DC. LXXXIV.




**I**N partem officiorum, quibus me Tibi, Professor Præclarissime, obstrictum esse lubens ultroque profiteor, non possum, quin affulgente hac nequaquam intermittenda occasione, in vota, preces & gratulationes fervidissimas, unâ cum Commilitonibus aliis, qui super eximiis hisce novis honoribus animis effuse lætantur, totus effundar. Quod hactenus in sinu gaudebam, id nunc erumpo gaudium, imò serio in eodem triumpho. Desideriis ardentissimis responderet tandem eventus lætior, utinam auspicio; quod supremum Numen humillimis sollicito precibus. Fatebuntur omnes, quod præfiscini dicam, quotquot unquam tam ex Docentium quam Discentium choro, labores tuos continuos, industriam assiduam, vigiliasque multas æquiore considerant animo, (quod quidem unumquemque illorum facere dubium vix est ullum) Te hac spartâ, quam hodierno die nactus es, esse dignissimum, laborumque tuorum consequi præmium uberri- mum honorificentissimumquè. Si ab ovo ad mala, quod ajunt, rem exordirer, cunctaque hic dicenda dicere aggredirer, prolixus forem, neque ferri essem potis. Qui te norunt, rem ipsam tenent. Tuam verò in provinciâ hactenus feliciter & cum laude administratâ constantiam insignem, alacritatem summam, & diligentiam maximam, tacitus nullo modo præterire possum. Indefessa erat illa, qua in commoda discensium annis non ita paucis pro virili incubuisti, cura. Quis est, qui grato eam non agnoscit animo, dignisque studet prædicare encomiis. In laborioso illo difficilique docendi munere, non vidimus unquam tædium tibi obrepere ullum, sed molestias oblatas omnes durissimo patientiæ telo superasti, atque industriæ laudatissimæ pertinaciâ non modo removisti, sed & longissimè profligasti. Quid, quæso, aliud Tibi erat institutum indefatigabili hac tua opera, quam ut animos cunctorum Tibi devincires, Tuique amorem & æstimationem conciliares apud illos,

qui

qui laborum tuorum merita, interventu suo & suffragiis, possent promovere ac in publicam lucem protrahere. Id jam contigit, praestitumque est abunde; quod Tibi jure meritoque tuo deberi, ambigit detractare nemo. Fruere ergo isto tuo bono, quod in Te à divino Numine collatum esse affatim sentimus. Impertias etiamnum alios, in munere cui admotus es, eruditione, qua multis inclaruisti, maxime conspicua celebratissimaque. Gratulor impense toti huic Athenæo, auspiciatissimum hunc illuxisse diem, quo Praeceptorem antehac probatissimum, consummatæque eruditionis Virum cernit in cathedram evehi Professoriam. Deum interpellor, Professor exoptatissime, conatum istorum Moderatorem unicum, ut ejus directione cuncta cedant prosperè, maximusque hoc munere tuo Professorio Academiae huic cumulus laudis addatur.

*Ita Praclariss. Dn. Professorem, Praeceptorem suum honoratissimum, affari voluit*

ANDREAS HENRICIUS.




*Ingenium, virtus, labor ornant ordine cunctos,  
Extollunt variisq; modis & laude coronant.  
Hæc tria manserunt in te, Praclare Magister,  
Conjugio stabili: Nam mira dexteritate*

*Ingenii polles, qua te Deus ipse beavit  
In laudem propriam, nec non magnum emolumentum  
Musarum affecla pubi juvenum studiosa.  
Spectatis etiam virtutibus es decoratus,  
Quæ numero multæ; capit has nec chartula laudes.  
Palladis in castris fueras vigil usque satelles:  
Quid multis moror? En, labor omnibus est bene notus,  
Virtutem ergo tuam merito comitantur honores,  
Atque tibi Deus omnipotens fert præmia digna.  
Maeste igitur tantis, multum Praclare Professor,  
Auspiciis, vel orans hodieq; capeßito munus  
Hocce Professoris, quod denique prosper obito!  
Numen supremum precibus reverenter adoro,  
Ut temet servet seros in Nestoris annos,  
In laudem Domini, nostri pariterq; Lycæi  
Eximium decus, & famam nunquam morituram!*

*Hæc, licet tenui vena contexta, gratulabundus adposuit*

ERICUS TAMMELINUS.



Qui volet assiduus claras sudare per artes  
 Palladias, erit hæc primum sententia menti:  
 Ut sibi prævideat finem, sibi consulat omni  
 Tẽpore, quod magni res hæc sit plena laboris.  
*Non jacet in molli veneranda scientia lecto,*  
 Assiduo ast illam debet quis adire labore;

Non renuens multis corpus tabescere curis,  
 Donec ad optatam poterit contingere metam.  
 Accelerare solet tandem labor ille quietem,  
 Præmiaquẽ accumulans gnavis cultoribus ampla.  
 Exemplum hinc capias, qui cunq; hæc mente revolvis!  
 PAULINUS noster signatus ritẽ Professor,  
 Doctrinã insignis, candore piẽque probatus,  
 Iam pridem didicit Lingvas & Apollinis artes;  
 Digna ideo officiis respondent præmia tantis;  
 Præmia sudoris dedit ipsi culta Minerva.  
 Sic labor, anxietas, insomnes ducere noctes,  
 Præmia magna ferunt, meritis pretiumq; repondunt.  
 Est honor hic ingens, est ipsi gloria magna,  
 Patria lætaturq; ejus de nomine claro.  
 Plaudite nunc omnes: Grajæ novus ecce Professor  
 PAULINUS Lingvæ viget, ille Magister Hebrææ:  
 Gaudia quẽis iterum capit hæc Academica pubes,  
 Gratulor ex animo tibi, propensissime Fautor,  
 Gratulor; & voveo tibi prospera corde fideli,  
 Ut semper vigeas, tua floreat optima fama!  
 Apprecor ut longam vitam quoq; ducere possis,  
 Inq; annos multos hoc munere fungier amplo!  
 Vivito jam felix, fructus depascito dignos:  
 Hactenus ut fueras, posthac sic pergito semper!

*Praclaris. Dn. Professore, est incultius, applausit*

LAURENTIUS G. TAMMELINUS.



Mnibus est notum quã sit doctrina per ampla,  
 Utilis & prestans, fructibus alma suis;  
 Certum post tempus defert præconia laudum,  
 Inclutus et fiet, qui parat illa sibi.  
 Quilibet exemplum clarum modò lumine lustrat  
 Paulino in nostro, quem super astra vebet,

Quod culit hinc pridem semper magnosque labores  
 Palladis in castris, Pieridumquẽ choro,  
 Sedulus & fuerat gnavusquẽ Heliconiæ alumnus,  
 Pectore non segni, fervidiore animo.  
 Itcirco apporat labor ipsi præmia digna,  
 Castalidum Cathedra munia celsa pieã  
 Ingiter esto igitur felix, Pauline Professor,  
 Præfeste Aonidum Carmelidumquẽ sacris.  
 Comprecor ut valeas vigeasquẽ hinc tempora multa,  
 Extendens vitæ stamina longa tua.  
 Te DEUS Astripotens magnis successibus ornet,  
 Ut prosper peragas, quod meditaris, opus!  
 Fama tibi in terris crescat mansura per ævum,  
 Gloria apud superos: sic mea Musa vovet!

Ita novos honores Praclaris. Dn. Professore gratulatur

GABRIEL TAMMELINUS GAB. FILI

